



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacrae Theologiae Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiae Ad Mentem Scoti Cursus Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. De Situ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

trāsferri de vna parte spatij imaginarij in tali casu ad alteram, sed illa tamen actio non esset realis positiua, quia per eam nihil produceretur positiuum, sed tantum produceretur per ipsam indistantia, quæ est tantum negatio distantia. Et addunt, quando aliquid ponitur in loco reali, duo fieri, nimirum poni indistantiam eius ad locum, & vltius præsentiam eius positiuam ad illum, & ex his duobus posse poni indistantiam sine præsentia positiua.

Negatio
nequit po-
ni de nouo
abique po-
sitione vel
ablatione
positiui.

At reuera hæc doctrina mihi non arridet: nam existimo omnino improbabile esse poni negationem de nouo in aliquo subiecto saltem per actionem alicuius causæ efficientis, nisi ponatur aliquid positiuum in illo subiecto, vel tollatur aliquod positiuum ab illo: quia si non ponatur in subiecto aliquod positiuum, vel tollatur aliquod positiuum in instanti, quo dicitur subiectum habere negationem de nouo, non potest intelligi, cur iam potius haberet negationem quam ante, quia respectu omnis positiui eodem modo se habet iam, quo ante: ergo non potest poni in tali casu in Angelo indistantia, nisi tollatur ab ipso aliquod positiuum, vel ponatur in ipso aliquid positiuum: sed non ponitur in ipso, nec ab ipso tollitur aliquid positiuum nisi ipsa distantia, quam ante habuit, sit aliquid positiuum. At ipsa distantia, si sit aliquid positiuum, non nisi respectus extrinsecus adueniens, terminatus ad partem illam spatij, à qua distaret Angelus, & consequenter terminaretur respectus extrinsecus adueniens ad aliquid non reale positiuum, quod secundum hos auctores repugnat: ergo à primo ad vltimum non potest poni in tali casu de nouo in Angelo indistantia.

Indistantia
nequit po-
ni absque
præsentia
positiua.

69. Ad illud vero vltimum, quod dicant, nimirum posse poni rem indistantem à loco eo modo, quo est indistans, quando habet præsentiam positiuam ad locum, sine eo, quod ponatur eius præsentia; etiam existimo esse improbabile, quia sequeretur non esse vllam necessitatem ponendi præsentiam eius positiuam ad talem, neque posse colligi vtrum de facto, dum res ponitur in loco, habeat præsentiam positiuam, quia posset dici, quod solum habeat indistantiam illam; & ex suppositione, quod posset poni talis indistantia sine præsentia positiua, omnia argumenta facile solui possent, quæ contrarium suaderent, quod est absurdum. Itaque indistantia illa, quam habet res posita in loco, siue sit negatio tantum distantia, siue sit aliquid positiuum oppositum distantia, ad quod necessario sequitur negatio distantia (sicut dicitur, quod dissimilitudo sit quid positiuum, ad quod sequitur negatio similitudinis) nunquam potest esse sine præsentia; & si sit positiuum non distinguitur realiter ab ipso vbi seu præsentia; si sit negatiuum, est necessario sequens ad vbi seu præsentiam.

Vnus An-
gelus ne-
quit moue-
ri ab vna
parte spatij
imaginarij.

Respondet tertiò, quod in casu, quod esset vnicus Angelus, solus nõ posset moueri ab vna parte spatij imaginarij ad alteram, neque Deus posset facere, vt in toto mundo prius creato haberet præsentiam in Hibernia, & postea in reproductione mundi eodem modo facti, quo antea, haberet suum locum in Italia: nisi producendo aliud & aliud vbi intrinsecum in ipso, non quidem dum non existeret, mundus, sed quando produceretur; Angelus enim productus in spatio imaginario solus, esset ex se indifferens & indeterminatus ad quamcumque partem mundi; & propterea Deus vt determinaret ipsum ad vnam partem, verbi gratia Hiberniam præ Italia, aut è contra, deberet tum cum produceret Hiberniam, aut Italiam, producere respectum extrinsecus aduenientem in ipso ad vnam & non ad alteram.

Quid sit
esse pro-
pinquum,
vel distans.

70. Quæres, vtrum esse propinquum, vel esse distans sint relationes huius prædicamenti. Respondet vel quæri de propinquitate & distantia duorum locorum ad inuicem, vel de propinquitate rei locabilis ad locum, seu ad locum aliud. Si de primo queratur, Respondet affirmatiue ex suppositione, quod duo loca sint mobilia, & aliquando possint habere maiorem, aliquando minorem distantiam aut propinquitatem: quia imprimis, vt suppono, sunt respectus, & præterea non præsupponunt aliquid, ad quod necessario sequantur, & cum quo habeant necessariam connexionem: ergo sunt extrinsecus aduenientes.

Consequentia patet ex dictis, & antecedit quoad primam partem est euidens, & quoad secundam etiam ex suppositione illa. Ex suppositione autem quod loca sint immobilia, & quod propterea nunquam possit fieri, vt eorum propinquitas vel distantia mutetur, Respondet negatiue, quia erunt relationes intrinsecus aduenientes; tam enim necessario sequuntur illa duo extrema posita simul, quam similitudo sequitur necessario duos homines simul positos.

Si de secundo queratur, Respondet affirmatiue, quia nihil præsupponitur ad illam propinquitatem, aut distantiam, ad quod necessario sequuntur, & cum quo habeant necessariam connexionem.

Dices: propinquitas rei locatæ in hoc loco ad rem locatam in altero loco sequitur necessario ad præsentias istarum duarum rerum in illis locis simul positas; neque enim esse in illis locis, quin sint sic propinquæ, saltem ex suppositione quod loca sint immobilia: ergo sunt intrinsecus aduenientes.

Respondet negando consequentiam: quia licet non possint esse istæ duæ præsentia, quin sit ipsa propinquitas; tamen bene potest esse propinquitas, quin sint præsentia: nam duo Angeli possunt habere distantiam, & propinquitatem ad inuicem, quamuis non existerent vlla loca, quibus essent præsentia. Itaque vt relatio sit intrinsecus adueniens, debet necessario præsupponere aliquid; sine quo posito non posset existere. Cum ergo propinquitas duorum locorum, & distantia possit esse sine præsentia eorum ad loca, sequitur quod quamuis non possint esse tales præsentia sine propinquitate, quod tamen ista propinquitas non sit intrinsecus adueniens. Per hæc possunt conciliari loca Philosophi, in quorum aliquibus dicit propinquitatem & distantiam esse de prædicamento *Ad aliquid*, in aliis vero quod sint de prædicamento *Vbi*: nam prima loca debent intelligi de propinquitate locorum, & rerum locatarum, vt locatarum ex suppositione quod loca sint immobilia; alia vero loca debent intelligi de propinquitate locorum specificatiue, aut locati ad locum, aut etiam duorum locorum ad inuicem ex suppositione, quod sint mobilia.

Quæres secundo de diuisionibus *Vbi*. Respondet breuiter *vbi* posse diuidi in *vbi naturale*, quod exigit res; & *viuentium*, à quo auertitur; & *neutrum*, ad quod se habet indifferenter, nec exigendo ipsum, nec respuendo. Vtrumque autem ex his *vbi* posset diuidi in sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, quorum significationes patent ex ipsis terminis. Item vtrumque ex illis posset diuidi in definitiuum & circumscriptiuum: definitiuum proprie loquendo est, à quo res habet esse in aliquo loco cum penetralitate, non expellendo alia ab eodem loco, siue res sic ubicata habeat partes extra partes in loco, siue non habeat. *Vbi circumscriptiuum* est, à quo res habet esse in loco cum impenetrabilitate, expellendo alia ab eodem loco.

Diuisio
vbi.

QVÆSTIO VII.

De Situ.

72. Intelligitur hic nomine *Situs*, dispositio seu ordo partium rei locatæ inter se, quæ dispositio etiam aliquando vocatur positio: res enim corporea habens plures partes non solum est in loco, sed etiam habet talem dispositionem seu collocationem in loco, vt vel sedeat, vel stet, vel iaceat: & hæc est dispositio illa, seu ordo ipsius rei ad locum, qui intelligitur nomine *situs*, seu *Positionis* à Philosophis, quamuis etiam positio significet quandoque ipsum *vbi*.

Aduertendum autem, duplicem posse considerari ordinem seu dispositionem partium rei corporeæ; vnam, quæ mediante sic se habent, vt caput vnatur immediate collo, non pedibus, oculi sinicipiti, non occipiti, &c. Et hanc dispositionem possent habere, quamuis non essent in loco, seu quamuis essent in loco indiuisibili, vt totum corpus Christi habens huiusmodi dispositionem suarum partium est in quolibet puncto, seu minima parte hostiæ conse-

consecratæ: hanc etiam eandem semper habere possunt, siue sedent, siue stent, siue decumbant. Vnde hæc dispositio seu ordo partium non est situs, de quo hic agitur. Aliam dispositionem possumus considerare inter partes rei corporeæ, à qua denominatur res posita in loco sedere vel stare, &c. & hanc dispositionem seu situm nequeunt habere res spirituales, neque res corporeæ etiam loco indiuisibili: neque enim Christus Dominus in Eucharistia aut sedet, aut stat, aut decumbit, &c. Vnde hæc dispositio erit situs ille, de quo loquimur in præfenti.

CONCLUSIO.

73. *Situs non est modus absolutus, nec relatio extrinsecus adueniens, subiectatus in re locata, & terminatus ad locum, nec denominatio extrinseca desumpta à loco.* Hæc est contra communem sententiam quoad primam partem, & contra Scotistas aliquos pro secunda parte.

Situs non est modus absolutus, nec respectus terminatus ad locum, nec denominatio extrinseca.

*Probat*ur prima pars ex dictis de actione, & vbi. *Probat*ur secunda pars, quia nullus respectus siue transcendentalis, siue non, quem dicit res ad locum, distinguitur ab vbi ipsius realiter aut essentialiter, nec vlla denominatio desumpta à loco distinguitur realiter aut essentialiter à denominatione illa, quæ denominatur res locata seu vbicata: ergo situs non potest consistere in tali respectu aut denominatione. *Probat*ur consequentia, quia alias pertineret ad prædicamentum *Vbi*, quidquid enim non distinguitur essentialiter, aut realiter ab vbi, pertinet ad prædicamentum *Vbi* secundum omnes. *Probat*ur antecedens, quia neque potest esse vllus respectus rei ad locum, qui sit situs, quin sit Vbi ipsius ad talem locum, & neque potest esse denominatio vlla à loco, quæ sit situs, quin sit denominatio illa, quæ est vbi, neque è contra potest esse Vbi, quin sit quicumque respectus ad locum, & quicumque denominatio à loco, quæ sit situs. Præterea neque Vbi est causa talis denominationis aut respectus, nec è contra, neque subiectantur in subiectis distinctis realiter: ergo non distinguuntur realiter; quod etiam non distinguuntur essentialiter distinctione sufficienti, vt ponantur in diuersis prædicamentis, probatur, quia nulla potest assignari ratio vel necessitas, propter quam res locata dicatur habere duas entitates essentialiter diuersas, quarum vna ipsam locaret, & altera situaret, quia vna entitas habens vnam essentiam posset sufficienter vtrumque munus præstare.

Confirmatur, quia non potest colligi ex vlllo capite, quin ipsa eadem realis forma haberet determinare non solum ad locum, sed etiam vt sit realiter vel taliter in loco.

Dices, Vbi non habere ex ratione sua formali, nisi ponere rem in loco, abstrahendo à modo, quo est in loco: situs vero habet ponere rem in loco cum modo tali vel tali, sessionis scilicet, aut stationis.

74. *Contra*, quia licet vbi, vt sic, habeat ponere in loco abstrahendo à modo, tamen vbi tale habet ponere in loco tali, & cum modo tali. Hinc autem non habetur, nisi quod vbi, vt sic, distinguitur ab vbi tali, & consequenter à situ, tanquam superius ab inferiori: hæc autem distinctio non sufficit, vt aliqua ponantur in diuersis prædicamentis, vt omnes fateantur.

Confirmatur, quia licet vbi abstrahat à situ hoc modo explicato, tamen situs non abstrahit ab vbi, sed includit ipsum formaliter, vt patet ex eius explicatione; ergo quemadmodum animal non debet poni in alio prædicamento, quam in eo, in quo ponitur homo, quia licet abstrahat ab homine, tamen homo non abstrahit ab ipso; similiter vbi non debet poni in alio prædicamento, quam in prædicamento, in quo ponitur situs, si situs esset talis respectus vel denominatio.

Et quidem hæ rationes sunt tam apparentes, vt Thomistæ, & recentiores communiter fateantur, licet vbi & situs ponantur in diuersis prædicamentis, quod tamè non distinguantur nisi per rationem rationem ratiocinantem, vt dicunt aliqui, vel, ratiocinantem, vt dicunt alij; imo aliqui coacti sunt dicere, quod reuera non essent ponendi in diuersis, sed in vno: Philosophum tamen iuxta vulgarem opinionem ipsos in diuersis posuisse.

CONCLUSIO II.

75. *Situs est dispositio partium in ordine ad se, ratione cuius, si poneretur in loco, diceretur res sedere, aut stare, aut iacere, quæ dispositio est respectus extrinsecus adueniens.* Hæc videtur esse contra communem sententiam: *Probat*ur tamen quoad primam partem, quia hæc dispositio est aliquid tam per se collocabile in aliquo prædicamento, quam vbi, & est omnino distinctum ab vbi, quia hæc dispositio potest esse eadem numero in diuersis locis, in quibus variaretur vbi; & præterea non potest intelligi situs sine ipsa: ergo dicendum est quod situs.

Quid sit situs.

76. *Confirmatur*, quia si dicatur hæc descriptio esse situs, potest saluari distinctio realis, & essentialis inter vbi & situs; & ex altera parte nihil aliud potest assignari quod sit situs, salua tali distinctione: ergo quandoquidem datur, huiusmodi dispositio à parte rei, magis congrue dicitur, quod sit situs, quam aliquid aliud.

*Probat*ur conclusio quoad secundam partem, quia non est modus absolutus siue cum respectu transcendentali, siue absque tali respectu, nec est denominatio extrinseca, nec respectus de prædicamento ad aliquid, vt patet ex dictis de aliis prædicamentis, ergo debet dici quod sit respectus extrinsecus adueniens.

77. *Obiicit*: Eadem potest esse dispositio partium in ordine ad se dum iacet aliquis, & dum stat: ergo situs rei non consistit in tali ordine partium. *Probat*ur consequentia, quia quando aliquis iacet, habet diuersum situm ab illo, quem habet dum stat, ergo in illa dispositione non potest consistere situs.

Respondet distinguendo consequens: situs pro vt est quid vnum per se distincti prædicamenti ab vbi, nego consequentiam; prout dicit etiam ipsum vbi, concedo consequentiam. Probationem consequentia similiter distinguo: diuersum situm, prout includit vbi, concedo; prout non includit vbi, nego.

Vt hæc distinctio melius percipiatur, *aduertendum* est, situm posse capi pro forma illa, à qua habet res esse sedens, vel esse stans in loco, & hoc modo sumptus vel dicit formaliter vbi tale, & materialiter illam dispositionem partium, sine qua non posset esse in tali loco; vel dicit a quæ primo vtrumque: & quomodocumque dicatur, certum est quod includat ipsum vbi, & quod non possit variari, nisi varietur vbi, nec è contra. *Alio modo* potest sumi situs pro illa dispositione partium præcise, quæ in situ priori modo sumpto includitur vel formaliter vel materialiter, quæque est indifferens ad hunc vel illum locum, & hoc modo sumptus non includit ipsum vbi vlllo modo. Quod si priori modo sumatur, diuersum habet situm à seipso stante; si posteriori modo, id non est necesse.

QUÆSTIO VIII.

De Habitu.

78. *V*ariis modis accipitur *habitus*, aliquando enim significat qualitatem; aliquando ordinem totius ad partes, à quo dicitur habere suas partes; aliquando ordinem rei ad locum, à quo dicitur habere locum; aliquando denique alios ordines. Sed, vt est prædicamentum aliquid particulare distinctum ab aliis nouem, sumitur pro illa forma, vel entitate, vel denominatione, vel modo, à quo dicitur aliquid esse vestitum vel armatum, seu à quo dicitur habere vestes vel arma, non quidem illa, quæ sunt concessa à natura, sed quæ industria acquiruntur.

CONCLUSIO.

Habitus est respectus extrinsecus adueniens subiectatus in re vestita vel armata, & terminatus ad vestes aut arma, à quo formaliter dicitur vestiri vel armari. Hæc est communis Scotistarum contra Thomistas, & recentiores communiter cum D. Thoma opusc. 48. *Suare disput. 53. Metaph. Auer*sa hic, qui putant habitum nihil aliud esse, quam denominationem extrinsecam, desumptam à vestibus. Et *probat*ur, quia dum aliquis vestitur, aut

Quid est habitus prædicamentalis.